OLAI

A.

SII.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubietate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonnemini Wittebergae emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

Gymnasii Logici repetiti
DIATRIBE XV.
DE

SYLLOGISMO ELENCHTICO SIVE FALLACE.

Disputationis loco
Ad sententiarum collationem
in Gymnasio Gedanensi proposita

PRÆSIDE
HENRICO NICOLAI,
Philos. Professore
Publico.

Respondentis partes obtinente
JOHANNE NEUUNACHBARO,
Elbingense Borusso.

Ad diem 2. Maji. S. N.
In Auditorio Philosophico.
Horis ab 8. matutinis.

Dantisci, Typis GeorgI RhetI,
ANNO CIↃ. IↃC. XL.

Gymnasii Logici repetiti
DIATRIBE XV.
De Syllogismo Elenchtico & Fallace.

I.

Non summis tantùm Numinibus sacra olim faciebat superstitiosa genticæ vanitatis temeritas, ut Jovi, Junoni, Dianæ: Sed & minoribus. Unde divisio manavit Veterum in Deos majorum *gentium &* minorum, *quam memorant* Comes l. 7. myth. c. 16. Lips. l. 2. ant. lect. c. 18. Taubma. in Pl. Epid. a. 5. s. 1. *Imò unum DEum quandoq; aliquis seligebat, Cui sacra ex destinato offerret. Quomodo solam Junonem adorasse Artaxerxem refert* Plutarchus in Artax. *& Neronem Soli Deæ Syriæ sacra fecisse narrat* Suet. in Ner. c. 56. *Ita non primario tantùm Syllogismo, ut proposito scopoq; Logico convenientiori, Logicus operam aliquam addicit: sed & secundario: non utendi quidem, sed resolvendi gratiâ. Atq; est inter Sophistas, qui mero Syllogismo Elenchtico & fallace non satis versatum imbecillioris Logici judicium subruere de industriâ annititur. Ejus ergò natura qui noscenda, ostendenda, vitanda, resolvenda, confutanda, specialiùs inter ultima opera Logica est pertractandum. Quod hæc diatribe perficiet.*

2. *Syll. Logicus* materialis *s. objectivus* vel verus *est, qui vel necessarius, vel contingens, de quibus* d. 13. 14. *actum:* vel falsus *& apparens. Is vulgò dicitur Elenchticus. Ejus cognitio* vel *præcognitionis est,* vel *cognitionis.* Illa *quadruplex: An specialiter in Logicis tradendus? Quo loco explicandus? An adæquatum Elenchorum Soph. Arist. objectum? Quinam specialiter de eo scripserint?*

3. Quà primum: *Ramei in totum negant, eum in Logicis docendum. Quòd nulla disciplina debeat proponere falsa: Et*

verum sit index sui & obliqui, atq; ita cognito vero facilè cognoscatur ejusdem oppositum, falsum, cum oppositorum eadem sit cognitio. Sic in Grammaticis proponi tantùm constructiones veras, nihil de falsis agi. Et falsa sint infinita, quæ ad certam cognitionem reduci nequeant. Et Scheckius ex Topicâ doctrinâ fallacias satis cognosci dicat. Ramus l. 2. Sch. Log. c. 3. & 9. & l. 19. c. 1. & anim. Aristotel. p. 219. seq. & lib. 9. c. 2. comp. 15. c. Schec: Beurhusius p. 2. pæd. Log. Snellius prol. dial. Log. p. 29. 31. & collat. Logic. p. 745. 785. Sagittarius C. I. ax. Lo:d. 1. t. 6. & in Templ. ration:d. 18. q. 1. Dunamus l. 2. Log. Ram. c. 9. Buscherus l. 1. Sophis. c. 1. aliiq;. Quibus accedit Gassend⁹ l. 1. c. Aristot. ex. 6. §. 4. Becmann: l. 4. cõpar. Log. m. 3. c. 1. *Et facto eũ in Logicis omittũt* Méd. Petron. Hornej: Arriaga, Rami: *incõmuni, aliiq;*. Sene: l. 6. ep. 49. *insectatur fallaciarũ doctrinam, sed in illis, q nimiũ temp⁹, q serijs impendẽdum, in istis absumunt. Quidam inter mistos præcipiunt quidem de Syll. fallace, sed non seorsim & ordine à cæteris separato, sed in* ipsis locis Topicis, *quorum singulis suas fallacias s. Elenchos subjungunt.* Dusa l. 2. Log. c. 1. 3. 4. seq. Alstedius l. 24. Encycl. p. 1. c. 5. 6. seq. *quamvis* c. 3. *aliquas fallacias conjunctim distinctèq; proponat*, & l. 6. Log. *har. ordine & distinctè fallaciarum materiem persequatur.* Dietericus in Dial. & Vrsin⁹ in comm. in Dial Rami. Alii *ultimo in Syllogisticâ loco eum habent. Vt Peripatetici. Et benè hoc. De quo distinctè dicendum:* 1. Logica Syll. Elenchtici index & vindex, deprehensiva & reprehensiva, indicativa & confutativa esse debet. Index *& deprehensiva, i. e. Logica, quia disciplina instrumentalis est, cognoscendo vero inserviens,* V. d. 1. t. 32. *debet instrumenta suppeditare, quibus Syllogismus fallax & apparens à solido in materiâ distinguatur, & distinctè agnosci possit. Nam hoc ad veritatem eruendam necessariò facit. Non enim verum perfectè agnosces, nisi fucatum*

catum ab eo distinguere noris. Ita aurifaber, si perfectè artis gnarus esse velit, debet fucatum aurum ab vero nosse distinguere. At hæc distincta agnitio in Syll. Elencht. â Logica proponitur. Vnde breviter: Om. instrumentum rectificans operationem intellectus ad cognoscendam veritatem per se est Logicum in Log. distinctè tractandum. Syll. Elenchticus, prout hic docetur, ut nempe vitetur, indicetur, & confutetur, est tale quid. Ergò. Vindex & reprehensiva: *i. e. Logica, ut disciplina instrumentalis debet instrumenta distincta suppeditare, quibus apertissimè solvatur & ostendatur vitium materiale Syllogismi falsi, adeoq; doceatur reprehendi & caveri tale vitium. Secus carebit organo, quo fucatos quosdam Syllog. resolvere possit, Quod erit ineptissimum pro solido Logico. At talia organa hic proponuntur. Non enim utendi & usurpandi, sed agnoscendi, solvendi & vitandi gratiâ hic docetur Elench. non exercitè, sed signatè & dijudicativè, Vt* §. 4. *constabit. Non artificiosas imposturas cuiquam mortalium suggerimus: Sed ostendimus, quomodo promptè & solerter in fraudulentas argumentationes animadvertere par sit. Vt* loq. Nihusius d Log. II. t. 4. *Nec hominem ideò inter cætera cum* Cardano factum *dicimus, ut esset animal fallax, cum superi ob probitatem, belluæ ob stultitiam fallaces esse non potuerint. Quod & creationi adversum est, quâ omnia bona fecit DEus,* Gen. I. v. 31. *Fallacia a. in malis est: Et pessimè finem ex malis & in illis assignat, cum non nisi bonus & in bonis ille, & malorum potiùs extremum sit. Finis hominis DEI fruitio: via ad finem unica, virtus: fallacitas virtus non est.* V. Scalig. ex. 254. Et distinguendum *inter præcepta malè disserendi, hæc â Logicâ aliena sunt: & præcepta vitiosa argumenta solvendi, quæ hic necessaria sunt, qa ex generalibus Canonib. Logicis vitium materiæ distinctè & sufficienter dijudicari nequit. Logicæ a. est, instrumenta vitiosæ materiæ satis dijudicandæ sufficienter suppeditare, Vt universam ratio-*

ratiocinationem completè expediat. Non agit Logica per se de fallaciis, ut objecto attributionis & fine, quem intendat: Benè per se, tanquam de objecto per principia ratiocinandi cognito, modûq; solvendi per rationem suppeditatis. Contrariorum n. eadem est scientia. At Syllogismus materialis verus in Log. proponitur. E. materialis falsus ibidem proponendus.

4. 2. Syll. falsus in actu signato & formaliter, non in actu exercito & materialiter hic est tractandus, nisi sub materiâ generali. In actu signato: id est, debent generales modi & velut formæ proponi, ad quas fermè sophistarum argutiæ omnes velut ad exemplaria reduci possint: & definiri, quid falsum sit, quotuplex, qui sub larvâ veri à deceptore proponatur. Non in actu exercito, id est, hic non specialiter omnis materia Syll: vitiosi, s. in Theologiâ, s. Jurisprudentiâ, s. Philosophiâ, &c. est adducenda, ex quâ vitiosus Syllogismus specialiter exstrui possit. Nã sic omnes materiæ speciales in Logi: inferendæ, quod non. V. d.13. c.4. Et materiæ speciales sunt infinitæ. At generalis materia ad certos modos revocari potest, ex quibus ostendi potest, Syll. Sophistici consequentiam materialem esse vitiosam. Conf. dn. Weg. in lib. Soph. q.5. n. 2. & q. 5. in l. post. n. 4.

5. 3. Doctrina hæc non tantùm ad benè esse & abundantiam, sed simpliciter ad esse & necessitatem Logices spectat. Nam 1. Continet directionem mentis, ne falsas rationes excogitet & assumat pro veris: & rectificationem operationis intellectus in resolvendo Syll: fallace, & sic ad veritatis acquisitionem conducit. At quod tale, per se ad Logicam pertinet, & Logico esse simpliciter subjacet, ut quod omnia instrumenta acquirendæ veritatis, s. per constructionem, s. resolutionem, plenè pertractare debet. Est enim & Genesi & Analysi utilis Logica. Illa in veris, hæc in verum mentientibus. Per se Logica armamentarium extruere debet, & locos adornare, quib. Sophistas verita-

tis pro

tis prosternere possit. 2. *Contraria ad eandem disciplinam necessariò pertinent, non ob utilitatem solùm. Sic Theologus de salute & peccato, Ictus de servitute & libertate, Physicus de motu & quiete, Ethicus de virtute & vitio, Medicus de sanitate & morbo, Politicus de pace & bello necessariò & ex professo tractant, si perfectè tractare velint suas disciplinas. Ita & Logica de Syll: vero & fallace. Dissentit* Scheiblerus d. Syll. c. 14. n. 7. Goclenius l. 2. part. Dial. p. 208. Becmannus c. l. *Quòd ex regulis consequentiæ Syll. cognitis facilè noscatur, tanquam inconsequentia quædam. Et rectum sit sui & obliqui index. Et in Grãmaticis non ponatur anomalia regulæ, Vt tua pater curris; Sed tantùm analogia. Sed hæc rem non conficiunt. Nam Regulæ consequentiarum inconseq. Syllo. facilè notificant,* sed formalem, *quam istæ regulæ proponunt, ut exemplum* Schei. de 1. fig. *ostendit, non materialem, de quâ Sophistica tradit. Ad eam ordinatè agnoscendã peculiari hâc doctrinâ opus est. Major & variabilior declinatio* circa materiam *Syllogismi esse potest, quàm formam, ut ex hujus regulis materiæ vitiositas non sufficienter solvatur. Sic ignoratio Elenchi & fallacia plurium interrog: ex consequentiâ nec formali nec materiali Topicâ sufficienter animmadvertetur aut dissolvetur. Et ut maximè â sciente qualitercunq; inde agnosceretur & educeretur: â tyrone tamen non fieret, cui ratiocinandi instrumenta completè & distinctè Logica offerre debet. Sic Elench. pl. interrog. ex illo, non sint plures termini in Syllog. quàm tres, qualitercunq; â sciente Logico solvi potest: Ad distinctam tamen agnitionem & solutionem id non sufficit. Sic ignoratio elenchi ex hoc, Termini non mutentur, augeantur, &c. Sed satis clarè â tyrone inde hoc non apparebit, nec distinctè in habitu ratiocinandi aut completè per id hoc proponetur. Ad cætera responsio* t. 6. *patebit.*

6. *Rameorum argumentis facilè respondetur.* 1. Nulla *disci-*

ciplina agit de falso, ut falsum est, sed ut speciem veri mentitur: Nulla compositivè & exercitativè tantùm: benè resolutivè & evitativè. Ipsi Ramistæ de axiomate falso *agunt inter axiomata. 2. Rectum est index sui & obliqui, ut obliquum in genere est, non ut specie recti fucatum, aut tale vel tale obliquum in specie est. Sic ex lineâ rectâ facilè agnoscitur curva, ut curva generaliter est, non ut rotunda, serpentina, angulata, specialiter. Sic cognito vero cognoscitur falsum, ut non verum; non autem, ut refutandum, expugnandum, resolvendum. Cognitâ pace cognòscitur bellum, ut paci contrarium. Sed non statim, quomodo gerendũ, hostis propellendus, agri defendendi, commeatus & pecuniæ providendæ, munitiones extruendæ aut occupandæ, &c. quæ etiam in plena Politicâ distinctè sunt præcipienda. Sic plena & distincta tractatio non saltem veri cognitionem, sed & falsi distinctam refutationem & resolutionem suppeditare debet. Vt ita contraria juxta se posita clarissimè elucescant. 3. Grammatica non proponit exempla falsa: Sic nec Logica falsa proponit: sed modos quosdam docet, quibus fucatum à vero distingui, falsum à vero ostendi & resolvi possit. In Logicis præceptorum verorum ad eliciendum falsum abusus esse potest: In Grammaticis non, cujus præcepta sermoni formando tantùm inserviunt, non vero eruendo. Sic diversitas est similium. Et Grammatica anomalias quasdam tractat, si spectes syntaxin figuratam, quâ ab analogiâ deviat. Et hæ tamen in perfectâ Grammaticâ omittendæ non sunt. 4. Falsa materialiter sumpta sunt infinita: formaliter ad certas formas & modos, velut ideas, redigi possunt. Et sic in Logicis.* V. t. 4. 5. Scheck. *ex topicis fallacias cognosci ait, sed imperfectè, notitiâ cõfusâ: non perfectè, distinctè & explicatè. Ad quod peculiari doctrinâ opus est. Con.* Cl. l. M. l. 1. disc. c. 2. q. 7. C. 5. qu: ill. d. 8. q. 1. 2. Alsted. l. 9. Lo. harm. c. 1. Timpl. l. 4. Lo. c. 7. q. 1. Fabrum q. 1. proem. in l. 1. Elench.

7. Qua

7. Quâ secundum: *Ratione doctrinæ rectè ultimo in Log. loco proponitur Syll. Elenchticus: Nam & ignobilior est Syll. vero: & absq; vero solvi a. agnosci non potest, & vero ut defectus quidam & vitiositas accedit. At accidens posterius subjecto.* Co. d. 14. t. 10. *Nec potest cognosci obliquum, nisi cognitione recti, cujus est deviatio: Ratione usus toti Logicæ præponi posse putant quidã, ut memini:* Faber in l. 1. Elench: q. proœm. *& ante analyticũ ponedũ putat* Danhauv: id: disp. s. 1. §. 33. id: int. s. 1. §. 40. & præf: epit. Dial. & proœm. epit. Dial. c. 8. facto ita procedit. *Vt ita removeantur ea, quæ scopo Logico, veritati, obstaculum ponere posse videntur. Sed & hoc modo non incommodè ultimo loco ponetur. Vsus enim confirmandi verum prior est usu refutandi falsum.* Flacius *in parte Syll. formalis eum tractat, quòd maxima ejus pars ex consequentia formali pateat, in eam peccet, ex eâ arguatur, & sine illa mutila sit,* L. 6. Log. gen. c. 6. 7. seq. *De hoc* t. 5. *dictum.* Quâ tertium: *Adæquatum librorum Elenchticorum Arist. objectum est Syll. Sophisticus generalis s. Elenchticus, comprehendens & apparenter demonstrativum, & Topicum. Nam horum & constructio & destructio duobus illis libris Elenchorum ab Arist. pertractatur; Constructio in primo, destructio in secundo libro.* V. Conimb: & Moris: præf. l. Elench. *Peirastici & Eristici Syll. sub eodem comprehenduntur, qui finis & intentionis gratiâ saltem ita dicuntur, reverâ Elenchtici sunt.* Quâ quartum, *Syllog. Elenchticum specialiter in Log. tractant Aristoteleorum & mistorum pleriq;. Vt Aristoteles ipse in Organo,* Corn. & Jac. Martini in Log. Gutkius, Scharfius, Dusa, Keckermannus, Alstedius, Scheiblerus, Timplerus, Regius, Flacius, Danhauverus, Conimbricenses, Toletus, Raconis, Faber, Fonseca, Hunnæus, Titelmannus. Arriaga *Etsi facto eum non tractet: tractandum tamen in Log. docet* d. 2. Log. n. 38. 39. Burgersdicius, Crellius, Bertius, Molinæus, Cæsari-

sarius, Rhodolphus, Perionius, Melanchton, Lossius, Bilstenius, Zanakius, Sturmius, Dietericus, Casus, Bartholinus, Morisanus. *Et peculiarib. libris ac tractatib. eum deduxerunt* Socinus in Elenchis soph: *Ann. 1625. editis*, Buscherus *in praxi Sophisticá*, Goclenius *in Sophisticâ. Ego q.* dec. 1. Misc. d. 7. & 8. *varijs exemplis eam rem tractavi. Vnde hic mihi breviori esse licebit.*

8. *Fuit* præcognitio. Cognitio *est* nominalis *&* realis. Nominalis homonymica. *De voce Syllogismi* V. d. 10. t. 7. *De voce Elenchtici nota, sumi* 1. Philologicè *Elenchum pro inauri & unione ovalem formam habente. Iuvenal. sat. 6. V. 459. Cũ virides gemmas collo circumdedit, & cum auribus extensis magnos commisit Elenchos: Interdum* generaliter *pro omni argumento s. vero s. falso. Sic dicimus Elenchum Philosophicum, Logicum, Sophisticum. Sic fides dicitur* ἔλεγχος, Heb. 11. v. 1. 2. Pro *indice rei. Sic librorum indices Elenchos vocamus. 3.* Pro *redargutione s. reprehensione. Est enim* ἐλέγχειν *idem ac redarguere.* 4. Pro *omni Syll. falso in genere, s. peccet in materiâ, s. formâ, s. in necessario s. in contingenti formetur. 5. Specialiter pro Syll. falso in materiâ necessariâ vel probabili, qui communiter Sophisticus dicitur. Sic hic sumitur. 5. Specialissimè pro certâ vitiosi syll. specie, quæ vulgò ignoratio Elenchi dicitur. Hinc Elenchum Arist. 1. Ele: definit Syllog. cum contradictione Conclusionis. Ea cum non legitimè se habet, dicitur ignoratio Elenchi.* Etymologica, *ubi ab Elencho dicitur, qui hic apparens est redargutio, speciem argumentationis habens, non veritatem:* & Synonymica, *ubi Syll: vitiosus, fallax, apparens, falsus, captiosus, Sophisticus, (qui interdum* specialiter *dicitur pro isto falso, qui in probabili materiâ versatur, & contradistinguitur Pseudographo) Eristicus, contentiosus & litigiosus, qui ita ex fine dicitur, cum Sophista intendit victoriam ob ostentationem a. quæstum; pirasticus &*

cus & tentativus, cum profertur animo tentandi aliquem, fallacia, de quâ voce Scaligerum ex. 254. *vide: Sophisma. Quod interdum generaliter quâvis perversionem notat, etiam, quæ extra argumentationem aut responsionem committitur in explicatione, applicatione, quomodo frequenter apud Theologos sumitur. Maleq; usum eum vocis* Smalcius c. Ravensp. p. 3. *reÿcit & exagitat. Cum & usus authorum eum habeat, & in usu vocum nos faciles esse conveniat. Frequenter Sophisma quodlibet inventum fraudulentum appellatur. Cicero cavillationem dixit.* V. Senec. l. 19. ep. 112. *Et Sophistam quemlibet impostorem, & vafris verbis circumvenientem. Vt notat* H. Steph. T. 3. th. Gr. Li. *voce σophista. Vnde Sophisticari dicimus, qui quâcunq; ratione detorquet sententiam. Et ipse* Smalcius præf. præl. Socini *Parei Sophisma vocat, quòd ex Socino respondente perpetuò fecerit argumentantem. Sic sophismata Chymicis falsi auri argentiq; suppositiones dicuntur, & Sophistæ, qui fucato auro argentoq; imponunt.* V. Libavium l. 7. arcan. Chym. c. 3. Picum Mirandul. l. 3. d. av. c. 5. *Interdum captio, captiosa Conclusio, Nonnullis παρεξέλεγχος, dicitur, quasi extra Elenchi leges.* V. Alsted. l. 9. Lo. har. c. 1.

9. *Fuit* Nominalis *Cognitio.* Realis est definitiva, divisiva, & affectiva. Definitio sit: Syll. Elenchticus est Syll. materialis, ex præmissis materialiter falsis & apparentibus erroneè ad decipiendum aliquem concludens.

10. *Dicitur 1.* Syllogismus, id est, *argumentatio aliud ex alio concludens.* V. d. 10. t. 11. Materialis, i. e. *certæ & determinatæ materiæ Logicæ applicatus.* V. d. 13. t. 2. 3. Ex præmissis materialiter falsis & apparentib⁹. *Apparentia est* vel in formâ, *quando violatur consequentia Syllogismi formalis, ut cum ex puris particularibus a. negatis concluditur, aut plus est in Conclusione, quàm præmissæ permittunt: quæ huc non pertinet, sed ad*

doctrinam de Syll. formali spectat: V.c.12. Vel in materiâ, *cum forma est legitima, sed materia est falsa: Sive ea necessaria s. probabilis sit, Adeoq́, cum vel materia necessaria est apparens, vel probabilis:* Vel in utraq́;, *cum forma & materia est apparens. Dicuntur præmissæ falsæ & apparentes pluraliter, permissivè: Fieri potest, ut utraq́ præmissa sit apparens: non semper necessariò id contingit. Cum & una præmissa falsa & apparens esse possit. Sic & Syllogismus falsus esse poterit. Vt: Quod ego sum, id tu non es. Ego sum homo. E. tu non es. Hic major tantùm apparens.* 4. Erroneè concludens: *Conclusio semper debet esse falsa* formaliter & ut Conclusio, *quatenùs ex incompetentibus præmissis educitur, è quibus verè educi nequit: etsi non semper sit falsa* materialiter, & ut propositio. *Sic enim materia ejus vera esse potest. Sic O. homo est corpus. Lapis est homo. E. est corpus. Conclusio per se & ut propositio, est vera materialiter: Sed non est vera formaliter, & ut Conclusio; id est, ut educitur ex istis præmissis. Nam falsò ex illis educitur: Minor enim ut falsa, per accidens veram suggerit Conclusionem, Et sic est iste Syll. Elenchticus s. falsus. Cæterùm nota:* 1. Syll. Elenchticus *& eroneè procedit ipse, & ex errore proficisci potest, & errorem gignit.* Erroneè procedit, ratione *Conclusionis, q̃ semper erronea:* Ex errore proficisci potest *ratione ejusdem, quæ ut effectus præmissarum ex erroneis præmissis gignitur:* Errorem gignit *ratione præmissarum falsarum & erronearum, quæ sunt causæ erroneæ Conclusionis. Et falsitas hic est in materia propositâ:* Et *conclusio ipsa ex apparentibus præmissis falsa est & educitur.* 2. Syll: Elenchticus *procedit ex ignorantiâ non puræ negationis, sed pravæ dispositionis, & hac vel simplici, quæ ex pravâ sensus apprehensione exsurgit: vel complexâ, quæ ex falsi medii adhibitione. Hæc ignorantia & causa Syll. Soph. esse potest, cum ex eâ falsum medium assumitur, & ex hoc falsa illatio consequitur: &*

effe-

effectus, cum falsa illatio porrò decipit vel authorē ipsum, vel auditorem aut lectorem. V. Cl. I. M. c. Kec. l. 3. s. 3: c. 1. 3. Syll. materialis est genus analogum & fermè aquivocum ad verum & elenchticum: primò vero competens: secundò & indirectè Elenchtico. Syllog. verus verè est Syllogismus: falsus in materia apparet talis esse, non est, etsi in formâ legitimus esse posit. Materia vera directum Logici Syll. est objectum & operationis: apparens indirectum & rejectionis. V. t. 3. Ad decipiendum procedit Syll. Elencht. quia primarius hic Sophistarum finis, decipere & ad inconveniens alios redigere. V. t. 16.

II. Fuit definitio: Sequitur divisio. Ramus ex partitione Logicæ omnem Logicam vitiositatem dividendam putat, & sicut illa, in inventionē & judicium dividitur: Sic fallacia in vitium inveniendi & judicandi dividi debeat, in anim. Aristot. p. 220. Sed hic non vitium Logicum universum, sed partis tertiæ materialis tantùm ostendere volumus, & Syllogismum materialem vitiosum tantùm tradimus & dividimus. Ille non divisioni Logicæ, quanquam & hæc Ramistarum vitiosa est, d. 1. t. 22. Sed Syllogismo materiali vero oppositus est, qui vel necessarius vel probabilis erat. Ex hujus divisione & Elenchticus dividendus. Ita Syll. Elenchticus vel Pseudographus vel Sophisticus erit. Pseudographus est Syll. elencht. ex materiâ necessariâ apparente procedens. Dicitur etiam Syll. Apateticus, deceptivus, falsigraphus, Pseudographema, & paralogismus absolutè, 1. Top. c. 1. Adeoq; est oppositus Syll. Apodictico. Et committitur tùm, cum ex falsis hypothesibus apparenter necessariis proceditur. Quæ hypotheses ab ipsis disciplinis sunt petendæ, & ex istis solvendæ, è quibus contrariæ hypotheses sumuntur. Sic si quis ex falsâ ista hypothesi, somnū esse passionem cordis, concluderet, cor in somno ab operationibus vitalibus cessare, quod est contra experientiam. Ostendēdum esset ex disciplinâ propriâ, Physicâ, hypothesin illam fal-

   lam fal-

lam falsam esse, & Anatomiæ contrariam. Sic si ita arguas: Oē lineæ ab eodem ad idem punctum ductæ sunt æquales. Linea recta & curva ducūtur ab eodē ad idē. E. sunt æquales. Hic materialiter erit Ostendēdum ex Mathematicis, majorē de lineis rectis esse veram. Exempla plura decade 1. Misc. d. 8. t. 3. seq. *vide*. Sophisticus est Syllogismus Elenchticus ex materiâ probabili apparente procedens. *Hic est Syll. Topico oppositus, & de hoc cumprimis hic tradi solet. Divisio hæc est sufficiens, nec tertium membrum admittit.* Nam Syll. ex probabilibus, creditis *ut necessariis, procedens, rectè refertur ad Pseudographum:* ex necessariis creditis ut probabilibus *ad Dialecticum:* tentativ⁹ *vel Pseudographus, vel Sophisticus, vel etiam verus esse potest.* V. Conimbr. c. l. *Exempla sat multa & hujus* c. l. d. t. 10. 11. seq. *sunt adducta, ubi vide*.

12. Syll. Sophistici *subdivisio varia est.* Quidam dividunt *in Sophist.* formæ, *cum consequentia formalis est mala, &* materiæ, *cum materia est prava.* Keck. c. l. c. 1. Zanack. c. Cl. I. M. f. 3. c. 3. p. 1. l. 3. Schei. c. 17. d. Syll. n. 10. D. Weg. c. l. q. 3. Timpl. l. 4. Lo. c. 7. q. 5. Alsted. l. 9. Lo. ha. c. 12. Libau. p. 593. Log. Phi. Ram. Bersman. l. 4. Erotem. Log. p. 637. Hunnæus l. 5. Log. p. 282. *& alij. Alij Syll. vitiosos in formâ potius* ἀσυλλογισίας *& scopas dissolutas vocant, nec dicēdos Syllogismos, nec peculiari doctrinâ tradendos, cum eorum solutio ex generali Syll. doctrinâ facilè pateat.* Cl. I. M. c. Keck. c. l. Flacius l. 6. Log. gen. c. 7. Gutk. c. l. p. 622. Conimbr. c. l. Faber in 1. Elench. c. 2. q. 3. *Et verè hoc. Syll. Sophisticus si generaliter pro omni vitioso sumatur, qualecunq; id sit vitium, s. Syllogisticum s. asyllogiston: ita Sophismata in formâ addi possunt: Sic Arist. ea addit in definitione Elenchi Sophistici.* V. 1. Top. c. 1 *Et sic potest hic vitiositas ratione formæ obiter considerari: Quod regerit* Zanak, c. l, *uberioris doctrinæ gratiâ, non illius hic recipien-*

spiendi causâ: Vt loquuntur Conimbr c. l. *Et sic* th. 10. *Apparentia aliqua in formâ dicta est*: Si specialiter *pro vitioso materiali, quomodo hic in materialibus Syllogismis vel veris vel apparentibus versamur*, V. t. 2. *Ita sola Sophismata in materiâ hic sunt tractanda: Et quæ dicantur in formâ esse, tanquam non Syllogismi, reÿcienda potiùs ad regulas consequentiæ syllogisticæ, quã hic peculiariter tractanda. Nam quod formam & consequentiam syllogismi non habet, id nec syllogismus dici meretur. Et sic* Arist. c. l. *expressè reÿcit tales argumentationes, & potiùs non ratiocinationes dicendas ait. Et solent earum exempla in regulis consequentiæ syllogisticæ sat multa proponi.* Conf. Cor. Mart. l. 1. Anal. Log. c. 5. 6. Alij *fallacias in noëticas, & has vel terminorum, vel axiomatum, & dianoëticas, & has vel Syllogisticas vel methodicas, dividunt.* Alsted. c. l. c. 2 & 12. *Et magna ex parte* Goclen. l. 2. part. Dial: Dietericus & Vrsinus, V. t. 3. *Sed hæ temerariæ Entium citra necessitatem sunt multiplicationes. Fallacias hactenùs argumentationum esse credidimus, non terminorum, a. axiomatum.* Alienè *thema insulsum dicitur fallacia thematis, quomodo &* Dusa *argumenti vocat l. 2. Log. c. 1. cum potiùs thema impertinens dicendum*: Fallaciæ *thematis verbalis sunt fallaciæ dictionum, quæ in Syll. Sophistico generaliter traduntur, nec contra legem methodi, ut ipse vult*: Fallaciæ *subjectorum, adjunctorum, Antecedentium, consequentium, connexorum, effectorum, diversorum, oppositorum, &c. temerè multiplicantur, cùm omnes ad fall. causæ, consequentis, accidentis, aut similem referri possint, Vt exemplis* Alstedii *doceri potest*.

13. *Ergò commodissimè* Syll. Sophisticus vel nominalis *f. dictionis*, vel realis *f. rei dicetur.* Nominalis *qui ex vitio nominis vel dictionis concludit. Estq́; sextuplex:* vel homonymiæ, *cum vitium ex vocib. significatione ambiguis est*: vel amphiboliæ (*Quidam amphibologiæ vocant*, Titelman. l. 6. Lo. c. 3. Fa-

c: 3. Faber c. l. c. 3. *Vetiturq́; hac voce* Martinius in præfat. Lexici Etym. *Sed rectè annotat* Keckerman. *hanc vocē nec Latinis nec Græcis aliqd significare.* Comm. ad l. 3. f. 3. c. 4. *Conf. &* Voss. l. 4. Inst. Orat. c. 1.) *cū ex phrasi ꝯstructionis ambigua e. In quo verū ejꝰ formale & ab homonymia discrimē ꝯsistere* dec. 1. d. 8. t. 11. *docui:* Vel compositionis, *cum voces dividendæ componuntur:* Vel divisionis, *cum voces componendæ dividuntur:* Vel accentus, *cum vocis enunciatio, vel quantitas, vel gesto, aut simile quid mutatur:* Vel figuræ dictionis, *cum diversi loquendi & intelligendi modi confunduntur. Exempla* dec. 1. c. l. *prostant.*

14. Syll. Sophisticus realis *vel rei est, qui ex vitio ipsius rei in materiâ propositæ concludit. Estq́; sextuplex:* Accidentis, *cum ea, quæ per se sunt, cū ijs, quæ per accidens, confunduntur. Vt: Animal est generis neutri: E. & homo. Vel: Animal non est generis masculini. E. nec homo. Modos ejus diversos* vid. ap. Schei. c. l. n. 40. Keckerm. c. l. c. 3. *eandem cum fall. â dicto secundum quid dicit. Falsò. Nam in istâ verè alicui assignatum prædicatum inest, sed secundùm quid: hic non est, sed inesse falsò per accidens dicitur.* V. Cl. I. M. c. Keck. c. l. 3. *Nec sufficienter contrà pugnat* Zanack. c. l. c. 3. *Secundùm quid aliquid esse inhæsivè vel effectivè distinguens. Sic Evangelium odor mortis dicatur secundùm quid, effectivè, non inhæsivè, idq́; per accidens. Nam si per accidens tantùm id Evangelio tribuitur, non reverâ secundùm quid ei competit, nec effectivè, nec inhæsivè. Sic sol excæcat per accidens & ex eventu, non verè hoc ei competit sec. quid.* Τὸ secundùm quid *determinat veritatem in aliquo:* Τὸ per accidens *casualia & non verè rei competētia importat. Itaq́; non simùl in uno stare possunt. Per accidens est additio alienans & diminuens: Secundùm quid attribuens & determinans. Multa etiam exempla Elenchi accidentis sunt, in quib. limitationem secundùm quid nullâ ratione adhibere licebit, ut exempla* Scheibleri c.

leri c. l. *docent.* A dicto quadantenus ad dictum simpliciter, *cum restrictè positum pro absoluto assumitur.* *Ut fides per caritatem operatur. E: caritas ipsi est pro forma.* Ignoratio Elenchi, *cum abluditur à scopo oppositionis. Sic, si probare jussus, animam hominis esse mortalem, probes, animam bruti esse mortalẽ, aut animã bovis interire posse cum bove.* Petitio principij, *cum pro probatione adfertur id, q̃ aquè dubium est. Ut: Infantes non habere possũt fidem. E. non baptisandi. Æquè antecedens est dubium, ac consequens.* Fallacia consequentis, *cum putatur sequi, quod non sequitur. Ut: si ante pluit, terra est madefacta. E. si terra est madefacta, antè pluit.*

15. Fall. non Causæ ut Causæ, *cum adfertur pro causâ, quæ non est. Ut: per Philosophiam possumus homines decipere & depradari. E. non est permittenda in Repub. Solet etiam dici* fallacia causæ. *Exagitat eam appellationem & definitionẽ* Smalcius c. Grauver. d. perſ. Christ. p. 19. ut non *Aristotelicam: Quòd nec ita dicatur Aristoteli, nec is ex uno termino fall: causæ definiat, sed integrâ propositione, quæ non sit causa illationis. Sed usus hodiernus utrumq; probat: nec necesse est, in his & similibus pracisè ad Aristotelem nos astringi. Ita Elenchum secundùm accidens accidentis, & secundum plures interrogationes plurium interrogationum dicimus. Cur non secundùm Causam Causæ? Et hodiè Elenchum Causæ dicimus, cum in genere falsa causa substituitur pro verâ: Sive ea sit in integrâ propositione, sive in aliquo Termino.* V. Cl. I. M. l. 7. inst. c. 5. & l. 1. misc. d. 13. t. 33. Scheibl. c. I. n. 61. Reg. p. 913. Log. Nihuſ. d. Log. 11. t. 28. Gut. p. 655. Syn. & d. 29. Lo. diu. Kesl. Log. Pht. s. 4. pri. 11. Alsted. l. 9. Log. ha. c. 3. Casum de fallac. c. 16. Scharf. l. 6. Lo. c. 3. Etsi alii, ut Hunnæus, Titelmann. Flacius, Keckermann. Morisan. Conimbr. Bertius, Fonseca, *ad propositiones eum restringant. Quod nimis frigidè sumi ait* Casus c. I. *Et*

conse-

concedit Socinus in Elench. Soph. p.24.25. *brevitatis gratiâ nos amphibolian, æquivocationẽ, vocare, pro quo dici deberet, fallacia ex amphibolià orta.* Cur *non & sic elenchum causæ, pro eo, quod ex falsâ causâ adductâ oritur?* Keckermann. c.1.c.3. *eam ex fallaciis omittit, quòd semper sit vitium in formâ. Sed sic nec fallacia consequentiæ distincta esset, quam tamen tractat Keck. Et licet vitium semper formæ hic esset,* ut & Fonseca l.8. Dial. c.15. *urget: potest tamen esse simul vitium materiæ, quod distinctè hic est advertendum. Nam vitium formæ mirificè interdum occultari potest.* Vt benè Cl. I. M. c. Kec. l. c.3. *Sed & falsum, semper formæ vitium hic esse.* V. p.32.6. Fall. plurium interrogationum est, *cum multæ interrogationes in unam confunduntur? Vt Traditiones vel sunt retinendæ vel abolendæ? Amisistine 1000. Imperiales? Desiistine furari? Plura circa hæc* ex dec.1.c.l. *petantur.*

16. *Fuerunt* Divisiones Syll. *Elenchtici: sequuntur affectiones. Eæ sunt 1.* Vtilitas. *Syll. Elenchticus utilis est ad acuendum ingenium, clariùs agnoscendum verum, dirigendam & rectificandam mentem in rationalibus operationibus.* V.t.5. *2.* Ordo, *Qui is, ut Syll. vero postponatur in tractatione.* V.t.7. *3.* Finis, *Syll. falsus finem habet æquivocum ex parte Sophistæ: verum ex parte Resolutionis.* Aequivocum: *Nam malorum non propriè est finis, sed ἔσχατον s. extremum: Vnde* Scaliger *reprehendit Ciceronem, quòd libros de finibus bonorum & malorum inscripserit, cum finis tantùm sit boni & in bono,* ex. 250. f.1. *Et bonum & finis inter se converti dicuntur.* V. Alsted. l.5. Ency. p. 1. c. 8. Scheib. c.6. Top. n.25. Verum: *Nam nosse fucatum à vero secernere, perfectionem animo scientis infundit, quæ verus finis esse potest. Sophistarum fines in specie deducit* Arist. l.1. Elench. c.3. & ex eo Cl. I. M. l.7. inst. c.3. Faber in l.1. Elench. c.3. *Et dicuntur* Elenchus, *qui est veræ theseos apparens contradictio & refutatio:* falsum: *Quod est Ejus, quo cum dis-*

scras, ad statuendum manifestè falsum adactio. Paradoxum, *Quod est collocutoris ad improbabile statutum probandum deductio.* Soloecum, *quod est collocutoris ad insulsum loquendi modum abductio: Et* nugamentum; *quod est disputatoris ad nugatorias repetitiones a. vanasbattologias reductio. Et speciales hi sophistarũ fines ad duos generales referri possũt, q. sũt deceptio, & hinc gloriolæ ex apparẽti sapiẽtiâ affectatio, vel lucelli reportãdi desideratio, &c. Conf. ampliùs* Conimb. q. I. d. fal. a. I. Moris. l. I. El. c. 2. aliosq;. Ramus *universè ista negat, quòd unus summus solusq; Sophistices finis τὸ ψεῦδος sit,* l. 19. Sch. Log. c. I. *Sed unus summus finis esse potest: Cæteri subordinati. Falsum monstrare Sophista vult: Sed hoc perficere non potest, nisi proposita reprehendat, & vel paradoxa eliciat, vel soloeca aut nugamenta proferre adigat.* 4. Solutio ejus, *quæ variè expediri potest, q. apud Logicos vide.* Tria *hic quæri solent.* I. An ad Conclusionem interdum respondere liceat, dimissis præmissis? Affirmant Keckerm. c. l. c. 2. & 4. Zanakius c. l. c. 4. q. I. Timpl. l. 5. Log. c. 7. q. 16. *aliiq;, Quòd interdum illatio conclusionis ex præmissis formalis non sit, plus in eâ sit, quàm à præmissis permittatur, à Scopo quæstionis abludat, plures quæstiones commisceat, principium inveniendi medii termini sit, ac materiam aliquam Syllogisticam contineat, concessione interdum tota permitti queat, &c. Negant* D. J. Martin. c. Keck: c. l. c. 4. Vrsinus l. 2. Dial. c. 9. q. 8. Finckius Syllog. c. 2. q. 4. *aliiq;. Et rectiùs. Conclusio n. effectum præmissarum est. Si vitium ergò habet, à præmissis habet, unde in illis ostendendum. Cum planè non infertur per formam ex præmissis, ne Conclusio quidem est, & magis totus syllogismus ut ἀσυλλόγιστος rejicitur, quàm ad solam Conclusionem respondetur. Nec hic formæ vitium, sed materiæ præcisè attenditur.* V. t. 12. *Sic & cum Ignoratio Elenchi, Etero Zetesis, plus æquo illatio, in eâ est, aut concessio circa eam est, magis totus Syll.*

quàm sola Conclusio reÿcitur. 2. An quodlibet Sophisma solvendum sit, an quoddam nudâ rejectione repelli possit? *Si apertissimè falsum sit, reÿci possit: Si veri speciem habeat, solvendum erit.* 3. An argumenta Philosophica in Theologiâ, Jure & Medicinâ solvenda, an rejicienda sint? *Ab erudito disputatore solvenda sunt,* & *ob seipsum, ne ignorans videatur,* & *ob Adversarium, ut confundatur & repellatur, sicq́ os obstruatur,* Tit. I. v. II. & *auditorium, ut erudiatur,* & *facultates ipsas, ut harmonia earum in scibilibus ostendatur, veritas earum explicetur, non contrarietas concedatur aut inducatur: non relinquenda. Simplicium diversa est ratio.* V. dec. I. d. 10. t. 25. seq. *De Sophistarum ingeniÿs habendum istud* Scaligeri c. l. *Sunt & larvata ingenia quædam, sibi ignava, aliÿs maligna: quæ jussu DEI venena serpentibus comparata profiteantur, ut ea sint calcaria nobis, ad fortitudinem, patientiam, temperantiam.*

ADDITAMENTA.

1. Pejus est mori in peccato, quàm propter peccatum.
2. Potest aliquis diligi à DEO, ut tamen ipsi non placeat.
3. Dari hominem, qui nec ater nec albus sit, absurdum non est.
4. Resurrectio Christi non est ab Evangelistis descripta, sed ea, quæ post eam contigerunt.
5. In fallaciâ Causæ semper vitium formæ occurrere qui- V. p. 324. Falsum hoc esse sequentia docent. Vbi venti sæviunt, dives mortuus est. Hodiernus dies est, Vbi venti sæviunt. E. hodiè dives mortuus est. Qui insomnes noctes ducit, avarus est. Catilina insomnes noctes ducit. Ergò. Om. sublime est obscurum. Scriptura est sublimis, E. obscura. Major in his vitium causæ habet, quòd falsa causa substituatur pro verâ. Vitium formæ in illis ostendi non potest,



H NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.